

mitantia alterius agentis omnino necessarii ad talem effectum, et ad omne illud quod in ipso fieri potest per talem concursum, et Deus non applicat suam virtutem ad supplendum illum defectum, ut supponitur, quia supponitur nolle amplius efficere quam cum causa secunda simul efficiat.

CAPUT XXVII.

UTRUM CAUSA PRIMA ET SECUNDA, UT PARTIALES CAUSÆ, AD EUMDEM EFFECTUM CONCURRANT.

1. *Necessitas hujus questionis explicandæ.* — Hæc questio necessaria est ad auxilia supernaturalia explicanda, et ad tollendas verborum contentiones, et ad solvendam objectionem quæ ex illa contra dicta oritur; sequi enim videtur Deum concurrere cum causa secunda, ut partialem causam effectus causæ secundæ, et non ut totalem. Consequens est absurdum: ergo. Sequela patet, quia causa quæ non influit actione totali et integra, non potest dici totalis in actu, cum ab actione denominetur agens actu: diximus autem concursum Dei cum causa secunda non esse actionem totalem; recte ergo sequitur Deum, ut influentem per illum concursum, non esse causam totalem; erit ergo partialis. Falsitas autem consequentis ostenditur, tum quia hoc est contra mentem omnium Theologorum et philosophorum; tum etiam quia hæc esset maxima imperfectio in Deo, nam esse causam partialem dicit dependentiam ab alia causa partiali, quæ est magna imperfectio. Item, quia causa partialis est inferior in sua operatione quam causa totalis, quæ ex duplici partiali conflatur, sicut ex duobus trahentibus navim, et unam causam totalem componentibus, unusquisque per se est viribus inferior utroque simul. Hoc autem Deo attribueri magna est imperfectio.

2. *Opinio Molinæ esse causas partiales.* — *Male explicata.* — In hoc puncto Molina, in Concordia, disp. 26, in Antuerpiana editione, circa finem, concedit Deum et causam secundam, simul concurrentes ad eundem effectum, esse causas partiales ejus, et ex utraque conflari unam causam integram, utiturque illo exemplo de duobus trahentibus navim. Contra quam sententiam vehementer insurrexerunt plures moderni Scriptores de Auxiliis gratiæ; sed sine dubio disputant de vocibus prius quam de re, ut alibi dixi, et mox explicabo. Et præterea excedunt in modo im-

pugnationis. Primo, quia quidam eorum refert Molinam consequenter dicere quod: *Pars effectus respondet primæ causæ et pars illius respondet secundæ, et ita Deus non attingit totum effectum prius, sed tantum attingit partem effectus simul.* Quod certe si Molina diceret, non solum in modo loquendi, sed in re magni momenti errasset, non tantum contra communem Theologorum et philosophorum sententiam, ut ille dicit, sed etiam contra fidem. Nam inde fieret aliquam partem entis realis fieri in mundo, quam Deus non facit, siquidem dicitur solum attingere partem effectus simul. At vero Molina longissime ab illo errore abfuit, suamque sententiam explicuit, dicens: *At cum dicimus neque Deum, per concursum universalem, nec causam secundam esse integras, sed partiales causas effectuum, intelligendum id est de partialitate causæ, ut vocant, non de partialitate effectus, totus quippe effectus et a Deo est, et a causis secundis.* Et statim adhibet exemplum de duobus trahentibus navim, et declarans in quo ponat similitudinem, addit: *Siquidem quivis eorum simul efficit cum altero omnes et singulas partes ejusdem motus.* Illo ergo modo non fideliter refertur sententia Molinæ.

3. *Male quoque damnatur.* — Hoc autem sano sensu supposito, immerito etiam dicitur ille modus loquendi esse contra omnes Theologos. Graves enim et non pauci Theologi illo modo locuti sunt. Gregorius enim, in 2, distinct. 38, q. 1, art. 3, ad 12, expresse dicit modum communem quo Deus concurrat ad quemlibet effectum agentis creati, esse juvando causam secundam, *partialiter cum illa efficiendo*, quæ verba habet idem Capreolus, q. 1, art. 3, ad 12, contra tertiam conclusionem. Gabriel etiam 2, dist. 1, q. 12, art. 1, notab. 2, late et inter alia dicit: *Deus, producens effectum cum causa secunda, est causa partialis, sicut est causa secunda*; et dist. 37, quæst. 1, ad argument. de 4 via: *Deus volendo causat omnia, non tamen ideo est causa totalis, quia vult secum concurrere alias causas.* Eodem modo loquitur Olchot, in 2, quæst. 1, art. 3, in principio; et Lychetus in 2, dist. 37, q. 2, § *Ad solutionem*, ubi ait Deum concurrere ad omnem actionem nostram ut causam partialem, quia vult causam secundam sibi cooperari. Et alios statim referam. Neque contra prædictum sensum, quod ad rem spectat, alicujus momenti est ratio illius auctoris; tunc enim solum est imperfectio in aliquo, quod sit causa partialis, quando indiget auxi-

lio alterius concausæ ex defectu virium propriarum, ut frequentius contingit in causis creatis, ut in visu, specie, et lumine, et in multis trahentibus navim quam neuter per se trahere potuisset. Nam, ut dixit optime D. Thomas, 4 contr. Gent., cap. 7, rat. 16, id provenit, quia virtus cujuslibet imperfecta est, et insufficientis ad istum effectum, ideoque ex diversis virtutibus congregatur una virtus omnium, quæ sufficit ad trahendum navim. Secus vero est quando causa libera, non ex indigentia, vel ex imperfectione virtutis, sed ex sua libertate, non vult totaliter applicare suam virtutem, nec modo sufficienti ut sola producat effectum, sed tantum cooperando cum alia, quæ simul totum effectum efficiat. Tunc enim esse causam partialem in dicto sensu, non supponit imperfectionem in tali causa, cum supponatur per se sola sufficiens; neque etiam ille modus agendi ponit in ea imperfectionem, quia agere vel non agere extra se non ponit perfectionem in ea, nec tollit perfectionem ab ipsa. Quapropter de hujusmodi causa falso dicitur pendere ab alia in agendo: nam potius alia concausa pendet ab ipsa, quia dependentia dicit necessitatem juveninis alterius ex propria impotentia. Unde dicitur proprie effectus tunc pendere, non ab altera tantum causa, quantumvis potente, sed indigere alterius influxu, quod verissimum est, supposito illo agendi modo; neque enim sequitur aggregatum illarum causarum esse potentius altera causa secundum se, sed solum prout voluntarie limitante suam influentiam, quod nullum est inconveniens. Nam in re hoc est ab omnibus dicendum, sive his verbis, sive aliis utantur.

4. *Quomodo causa prima conjungatur causæ secundæ.* — Isto ergo modo causa prima conjungitur causæ secundæ ut concausa, non ex defectu virium, sed quia benigne vult sese accommodare causæ secundæ, ut ejus efficientiam non tollat, neque præveniat. Sicut homo fortis vult interdum non solus portare lapidem, sed cum alio, quia vult juvare illum, et non totum opus in se suscipere, licet posset; in quo etiam multum distat homo a Deo, quia homo, licet facere possit opus sine ope alterius, non tamen tanta facilitate, aut velocitate, aut sine tanto labore, et ita semper juvatur aliquo modo in eo quod per se non potest. Deus autem, propter infinitatem virtutis, semper tam bene et tam facile, et sine ullo labore solus posset facere, quod per causam secundam operatur: solum ergo ex benigna

providentia se constituit cooperatorem et causam partialem, juxta illum loquendi modum, quem ita explicuit Gabriel 2, d. 1, quæst. 2, art. 3, dub. 5, ad 3. In actibus vitalibus est multorum opinio Deum non posse se solo efficere illos sine cooperatione causæ secundæ, quod inter Thomistas satis receptum est, et ita videtur Deus ibi partialiter illo modo concurrere, non ex sola voluntate, sed quia tales actus non potest solus efficere. Et nihilominus dicendum est, posita illa sententia, id non esse imperfectionem in Deo, quia id non provenit ex impotentia Dei, vel ex defectu virium, sed partim ex incapacitate talis effectus, quia non est aliter producibilis quam a principio intrinseco proximo, partim ex eminentia Dei, cujus puritati, et actualitati repugnat esse principium intrinsecum talium actuum. Quamvis, judicio meo, probabilius sit quidquid est efficientiæ in productione talium actuum, non pendere essentialiter a proxima potentia, sed posse a Deo solo fieri, licet non connaturali modo, neque informando potentiam, et ideo, ut ita fiat, sufficere ut decreverit Deus juvare potentias, ut illos vitali modo eliciant, fiantque aptæ ad recipiendos in se formales effectus eorum.

5. *Objecta contra modum loquendi Molinæ.* — *Ex Patribus.* — *Deinde ex ratione.* — *Diluuntur hæc omnia.* — Alius vero ejusdem doctrinæ defensor et Molinæ impugnator maxime invehitur contra illum modum loquendi applicatum ad opera gratiæ, de quibus ita etiam loquitur Molina; et imprimis objicit multa testimonia Patrum, dicentium totum quod est in operibus gratiæ esse tribuendum Deo, et non partem homini, partem Deo; deinde dicentium ipsammet cooperationem hominis esse effectum gratiæ Dei, ut sic verum sit illud Roman. 9: *Non est volentis, neque currentis, sed Dei miserentis*; dicentium denique nihil habere hominem unde gloriatur, sed totum quod habet esse divinæ gratiæ beneficium. Objicit præterea rationes. Prima est, quod potentiæ animæ nullam habent virtutem innatam ad efficiendum actus supernaturales, etiam ut causæ partiales; ergo Deus non potest dici causa partialis propter cooperationem voluntatis. Secunda ratio est, quia alias dicendum esset etiam Patrem partialiter producere Spiritum Sanctum, et similiter Filium, et comparari possent cum duobus trahentibus navim, namque neuter producit Spiritum Sanctum, sed ambo simul. Tertia ratio sit, quia principale agens et instrumen-

tum non sunt duæ causæ partiales; sed causa secunda est veluti instrumentum causæ primæ, præsertim in operibus gratiæ; ergo. Sed citata testimonia non recte accommodantur præsentis instituto, et punctum præsentis controversiæ variatur, quod in tota hac materia sæpissime fit, estque attentissime cavendum. Hic enim, ut dixi, non agimus de divisione effectus inter causas quasi per partes, sed de toto effectu, ut fit a pluribus causis. Neque etiam tractamus an illæ duæ causæ, quæ partiales vocantur, sint inter se subordinatæ, necne, sed tantum utriusque concursus et necessitatem consideramus, et ad hoc tantum adducitur exemplum de duobus trahentibus navim, non ut in omnibus simile reputetur. Denique non agimus de toto influxu gratiæ, nec de Deo, ut variis modis in nobis per gratiam operatur, sed præcise ut cooperatur nobis per concursus simultaneum ordinis gratiæ.

6. *Explicantur allata testimonia Patrum.* — Quibus præ oculis habitis, facile intelligitur priora testimonia in contrarium allegata nihil obesse; illa enim contra Semipelagianos scripta sunt, vel procedunt. Illi enim ita dividebant bona pietatis opera inter hominem et Deum, ut quædam dicerent fieri ab homine, solum per liberum arbitrium, alia per Dei auxilium, illudque non omnino gratuitum, sed per priora opera sua promeritum, ut Prolegom. 5 late dictum est. Contra hos itaque dicit Augustinus, lib. de Prædestinat. Sanctor., cap. 2: *Homo quasi componit cum Deo, ut partem fidei sibi vindicet, atque illi partem relinquat, et quod est elatius, primam tollit ipse, sequentem dat illi.* Et contra eundem errorem sic intellectum inducit verba Apostoli: *Quid habes quod non accepisti?* et verba Cypriani: *In nullo gloriandum, quoniam nostrum nihil est.* Et in eodem sensu dicit cap. 7: *Quidquid antequam in Christum crederet, et cum crederet, et cum credidisset, Cornelius operatus est, totum Deo dandum est,* ubi particula *totum* non excludit cooperationem hominis, alias pugnaret cum verbo *operatus est*, sed distribuit omnia opera conducentia ad salutem, etiamsi fidem antecedant. In eodemque sensu ait idem Augustinus, lib. de Dono persever., cap. 6, in fine: *Tutiores vivimus, si totum Deo damus, non autem nos illi ex parte, nobis autem ex parte committamus,* nimirum aliquid nostris viribus et sufficientiæ tribuendo, et propter illud aliquid a Deo sperando. Et in hoc sensu allegat alium locum Cypriani exponentis verba orationis Dominicæ: *Et ne nos inducas in tenta-*

tionem, et dicentis illam orationem admonere unumquemque infirmitatis suæ, ne quis sibi superbe arroganterque aliquid assumat. Nam, ut infra subdit, ubi præcedit humilis et devota confessio, datur totum Deo; ubi etiam particula *totum* non excludit, quin totum opus liberum fiat etiam ab homine, sed distribuit omnia opera, et quidquid boni est in quocumque opere, ab initio ejus usque ad finem. Et in eodem sensu subjungit Augustinus, capite septimo, illam Domini orationem nihil nobis reliquisse, in quo tanquam in nostro gloriemur. Unde optime Bernardus, de Grat. et lib. arbitr.: *Non partim gratia, partim liberum arbitrium, sed totum singula opere individuo peragunt; totum quidem hoc, et totum illa, sed ut totum in illo, ita totum ex illa.* In quo ultimo verbo indicat alium modum, quo totum opus pium dicitur esse ex Deo, ut jam declaro.

7. *Alia testimonia explicata.* — Unde testimonia etiam quæ secundo loco obijciuntur, ad punctum quod nunc tractamus nihil conferunt, quia in præsentis non consideramus Deum secundum omnem rationem et modum quo per gratiam suam in nobis operatur, nostrumque elevat vel regit arbitrium, sed præcise ut concurrat nobiscum per concursus simultaneum, et suo modo generalem, quod expresse Molina in eodem loco advertit; nullus tamen Catholicus ignorat liberum arbitrium, non nisi præventum a Deo, et viribus gratiæ instructum, posse in suo ordine esse causam supernaturalis actus fidei, et similibus, ideoque necessarium esse ut a Deo præveniatur, vocetur, et excitetur ad supernaturalem consensum præstandum. Considerando ergo Deum non ut cooperatorem, sed ut inducentem, et trahentem liberum arbitrium ad consensum, verissimum est in Deum solum, tanquam in primam radicem et causam, *pium opus liberi arbitrii esse reducendum.* Et in hoc sensu loquuntur Patres secundo loco allegati, ut constat aperte ex Augustino, de Prædest. Sanctor., cap. 16, ubi ponderans verba Pauli: *Non ex operibus, sed ex vocante,* ait: *Numquid dicit: Non ex operibus, sed ex credente? Rursus: Hoc abstulit homini ut totum daret Deo, etiam voluntatem credendi, et cooperationem liberi arbitrii, quia illa etiam provenit a vocatione, non quacumque, sed congrua, qua fit ut homo velit.* Per hoc autem non excluditur, quin liberum arbitrium sit simul causa suæ fidei cum Deo illi cooperante, neque illi doctrinæ contrarium est quod propter illam cooperationem causa partialis vocetur.

8. *Confirmatio allate expositionis.* — Unde idem Augustinus, lib. 83 Quæstionum, quæst. 68, dixit: *Si quis sibi tribuat quod venerit vocatus, non potest sibi tribuere quod vocatus sit; et in Enchirid., c. 32, tractans verba Pauli ad Rom. 9: Non est volentis, nec currentis, sed Dei miserentis,* exponit dicta esse ut totum Deo detur. Declarans autem quomodo totum datum sit Deo, addit: *Qui hominis voluntatem bonam et præparat adjuvandam, et adjuvat præparatam.* Præparat autem excitando, adjuvat cooperando; ergo ut tribuat totum Deo, non considerat illum præcise ut concurrentem, sicut nec modo loquimur, sed præcipue ut voluntatem præparantem. Et sic etiam Ambrosius, lib. 2 de Abraham., c. 7, exponit eadem verba Rom. 9: *Non est volentis,* dicens: *Ut omnia tribuas Deo qui te vocavit.* Et in idem redit quod dixit Paulus Orosius, in fine suæ Apolog., totum fructum palmitis tribuendum esse viti, quia dat non solum ut possit, verum etiam ut sit; et Anselmus circa id ad Ephes. 2: *Gratia estis salvati per fidem, et hoc non ex vobis: Dei, ait, donum est fides et vocatio, et non partim, sed pure donum Dei, quia non ex operibus; ergo ratione vocationis totum est Dei solius, quia vocatio nullo modo est a nobis, et per illam nobis datur, ut possimus, et si sit congrua, datur etiam ut velimus.* Eandemque doctrinam summam tradit D. Thomas 1. 2, q. 111, art. 2. ad 2, ubi dicit totam justificationem esse ex gratia, quia ipsa cooperatio nostra procedit ex gratia utique excitante, et fit cum adjuvante.

9. *Alia testimonia allata explicata.* — Denique eos sensus habent testimonia in tertio loco allegata; ubicumque enim Patres dicunt totum opus salutis esse tribuendum Deo, non intendunt excludere propriam causalitatem liberi arbitrii in operibus pietatis, sed interdum illam solam nihil per se valere, nisi a Deo et adjuvetur. Sic Hieronymus, Jerem. 18, exponens illa verba: *Sicut lutum in manu figuli,* ostendit per illa non excludi causalitatem liberi arbitrii, sed doceri non esse totum tribuendum homini, sed gratiæ, quod exponens subjungit: *Ita enim libertas arbitrii servanda est, ut in omnibus excellat gratia largitoris.* Et similia multa habet Chrysostomus in Joan. 13, et hom. 4 super 2 epistol. ad Thessalon., et 6 in id 2 ad Corinth. 3: *Non quod simus sufficientes,* etc.; nam quia Paulus dixerat: *Fiduciam habemus ad Deum: Ut hoc, inquit, emolliat, subdit: Non quod simus sufficientes, etc., hoc est, non ita dixi: Fiduciam habe-*

mus, tanquam aliud nostrum sit, aliud Dei, sed totum istud Deo adscribo. Ac denique eodem sensu dicunt Patres nihil esse in homine de quo possit gloriari, quia omnia debent in Deum referri, et quo quisque sanctior est, eo magis totum Deo tribuere, ut videre licet in Cypriano, libr. 3 ad Quirin., c. 11; Basilio, Hom. 22 de Humil.; et Nazianz., orat. 31, ita exponit illud Rom. 9: *Non est volentis,* etc.: *Idcirco, ait: Non volentis, id est, non solum volentis, nec currentis solum, sed etiam miserentis Dei.* Ita quoniam velle quoque ipsum a Deo est, optimo jure totum Deo assignavit, hæc enim ideo dicuntur, quia omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, Jacob. 1; et eo ipso quod ut tale recognoscitur, homo non habet unde gloriatur, juxta illud ad Ephes. 2: *Dei enim donum est, ut ne quis gloriatur,* utique in seipso, ut exponit Augustinus nuper allegatus, in c. 7 de Prædestinat. Sanctor.; qui autem recognoscit perfecte gratiam Dei, licet suam cooperationem liberam necessariam esse cognoscat, non in se, sed in Domino gloriatur, quod Paulus non reprehendit 2 Corinth. 11, de qua re dixi plura in lib. de Auxiliis, c. 20, ad 3, n. 13.

10. *Prima ratio diluitur.* — Ad primam rationem respondetur negando assumptum; quamvis enim ex se voluntas non habeat in natam virtutem per se sufficientem, etiam in ratione principii proximi ad actus supernaturales faciendos, negari non potest quin habeat aliquam inchoatam, sive illa dicenda sit naturalis, ut multis placet, sive obediens, ut mihi magis probatur, et illa sufficit ut in suo genere dicatur causa, et concausa cum Deo. In hac vero ratione indicant isti auctores liberum arbitrium per seipsum non habere proximum et immediatum influxum in opera gratiæ, sed solum mediante habitu infuso, vel alia motione gratiæ prævia, quæ suppleat vim effectricem habitus; et in hoc sensu significant etiam totum opus pium esse tribuendum gratiæ, quia totum principium, tam proximum quam primum, quo fit, est gratia. Verumtamen, quia hoc nunquam satis declarant, illud eis simpliciter non tribuo: si tamen ita sentiunt, falsam existimo talem doctrinam et interpretationem, quia est contra rationem actus vitalis et liberi, et in lib. 6 fuse tractabo.

11. *Diluitur altera ratio contra Molinam allata, et tertia quoque.* — Ad secundam rationem, negatur sequela, quia Pater et Filius